



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

VI. Vtrùm Superior possit audire sola reseruata, & absolute ab illis
pœnitentem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

& absolui à peccatis referuatis, & à quo debeat absolui. Distinguendum est: nam casus multipliciter contingere potest. Primò, si Confessarius habeat facultatem absoluendi à referuatis ibi, vbi audit confessionem. Secundò, si eam non habeat, sed solum ad non referuata. Tertiò, si peccatum sit referuatum in vtroque Episcopatu. Quartò, si solum sit referuatum in loco, vnde venit penitens. Quintò, si sit referuatum in loco solum, vbi confitetur. Supponimus autem, penitentem non venisse animo mutandi domicilium, alioquin iam non est regendus legibus loci, vnde profectus est.

69. His suppositis, si peccatum sit in vtroque Episcopatu referuatum, dicunt omnes, non posse absolui à Confessario non habente potestatem circa casus referuatos. Deinde, si Confessarius habeat potestatem circa referuata; concedunt posse absoluere à peccato, quod referuatum est, in Episcopatu penitentis, in quo tamen non omnes fortasse consequenter loquuntur ad suam sententiam. Plures enim negant, posse absoluere Sacerdotem non habentem auctoritatem ad casus referuatos penitentes, licet illud peccatum non sit referuatum in hoc Episcopatu, vbi confessio auditur. Sotus, Grassius, & Vega quos refert, & sequitur Fagundez lib. 3. de 2. Ecclesie precepto, c. 8. n. 20. quibus adde Paulum Comitulum, Hunnum; & Megalam, quos affert Diana 1. tom. tract. 3. miscell. resolut. 16. & Vgolinum, & Bellochium, Florinum, & Capeauillam, quos affert ipse Diana 2. tom. tract. 4. de Sacram. resolut. 103. quorum aliqui id probant ex Bonifacio VIII. cap. si Episcopus, de penitent. & remiss. lib. 6. vbi dicitur, Episcopum suo subdito concedentem facultatem eligendi sibi Confessarium idoneum non intelligi concessisse facultatem, vt absolueretur à casibus referuatis. Addit Fagundez, præsumi illum penitentem in fraudem se aliò contulisse, vt fugeret referuationem peccati commissi.

70. Hæc argumenta facillè soluuntur. Ad primum enim respondeo, penitentem in nostro casu non habere facultatem ab Episcopo eligendi Confessarium, sed habere facultatem consuetudine, & approbatione Prælatorum introductam, quam Eugenius Papa IV. approbavit, qua potest, dum in alieno Episcopatu bona fide versatur, gerere se in ordine ad confessionem, sicut alij qui sunt incolæ illius loci. Bonifacius autem loquitur de subdito manente in suo Episcopatu, cui Episcopus non intelligitur dedisse facultatem pro referuatis. Ad secundum respondeo, in foro interno cessare omnes præsumptiones: quare, si penitens certò scit, se non eo animo discessisse ab alio loco neque in fraudem, sed propter alia negotia, quomodo potest habere locum præsumptio illa?

71. Contraria ergo sententia verior est, quòd possit absolui à Confessario non habente potestatem ad referuata, si tamen illud peccatum in loco confessionis non sit referuatum. Hanc tenent Caietanus in Summa, verbo, Absolutio, 2. Paludanus, & Antoninus, quos affert, & sequitur Suarez in præsent. disp. 30. sect. 1. n. 4. Henriquez lib. 6. cap. 14. n. 8. Litera Q. Reginaldus in praxi, tom. 1. lib. 8. cap. 5. sect. 3. n. 69. Homobonus de casibus referuatis, p. 1. c. 2. Villalobos in Summa, tom. 1. tract. 9. diff. 59. n. 4. Diana locis supra citatis, & alij. Et quidem aliqui ex aduersariis, vt dixi, non videntur consequenter loqui: si enim ideo non potest absolui: quia eius Episcopus iter agentibus solum præsumitur concedere facultatem eligendi Confessarium pro non referuatis; non pro referuatis; non poterit absolui à Confessario alterius Episcopatus: etiam si ibi P. Ioann. de Lugo, de Penitent.

habeat facultatem ad absoluendum à referuatis nam suppono, non esse eadem referuata, sed diuersa; imò licet essent eadem, si Episcopus penitentis non dedit licentiam pro referuatis, licentia alterius Episcopi per accidens se habebit ad illam absolutionem; & tamen ipsi concedunt, posse absolui ab habente potestatem ad referuata in loco confessionis.

Meliùs ergo dicitur cum Suarez, & aliis, peregrinos, & aduenas ex recepta consuetudine æstimandos esse in ordine ad confessionem, sicut eos, qui sunt incolæ eiusdem loci: neque enim Confessarii huius Ciuitatis debent, aut possunt interrogare singulos penitentes de patria, vel an sint peregrini, & multò minùs de casibus referuatis in sua patria; quos certè nec Confessarius huius ciuitatis, nec ipse penitens peregrinus scire possunt. Debit ergo consuetudo, vt illis esset ad praxim, ita introduci, vt solum sit attendendum ad locum, in quo fit confessio. Vnde si penitens confiteatur aliquod peccatum, quod in loco, à quo discessit, non erat referuatum; in locò tamen confessionis sit referuatum, Confessarius, qui in hoc loco non habet facultatem ad referuata non potest eum absoluere, vt faretur Suarez, licet in hoc etiam dissentiat Fagundez.

Dices: Si Parochus proprius simul veniret cum hoc peregrino suo subdito posset hic illum absoluere sine licentia ad referuata ab illo peccato, quod in eius diocesi non est referuatum, licet hic sit referuatum: ergo etiam Parochus huius loci potest eum absoluere, tanquam à non referuato. Respondeo negando consequentiam. Ratio differentie est: quia Parochus ille prior non habet suam iurisdictionem ab hoc Episcopo, sed ab Episcopo proprio, vel dependenter ab illo. Quare eius solus Episcopus potuit per referuationem auferre, vel limitare eius iurisdictionem; non verò iste alius Episcopus, à quo non dependet; idè respectu illius Parochi non est referuatum tale peccatum sui subditi. At verò hic alius Parochus habet suam potestatem dependentem ab Episcopo huius loci, qui potuit illam per referuationem limitare, prout de facto limitauit: non habet ergo potestatem ad absoluendum à tali peccato: ideo respectu illius, & omnium, qui dependent in sua potestate ab hoc Episcopo, manet referuatum illud peccatum; idcirco non possunt ab illo absoluere peregrinum, cum ad illam etiam absolutionem vii debeant potestate dependenti ab hoc Episcopo.

SECTIO VI.

Virum Superior possit audire sola referuata, & absoluere ab illis penitentem.

74. Vpliciter potest contingere hic casus. Primò quòd penitens adeat prius Confessarium inferiorem, qui non potest absoluere à referuatis; & tunc certum est, non posse inferiorem absoluere ab aliis, nisi quando penitens est in necessitate confitendi vel sumendi Eucharistiam: tunc autem, an possit, & debeat confiteri inferiori, & an debeat confiteri etiam referuata; an verò sola non referuata, & an id locum habeat etiam, quando peccatum referuatam habet excommunicationem referuatam; diximus latè disp. 14. de Eucharistia, sect. 5. vbi probabile dixi, quòd posset, & deberet confiteri inferiori ante Communionem, & sola non referuata; & hoc, licet haberet excommunicationem referuatam, quæ omnia non oportet iterum in hoc loco repetere.

75. Secundò ergo potest contingere, quòd penitens

tens prius adeat Superiorem, ipse verò nolit audire confessionem integram; se. i. sola reservata, & absol-
uere ab illis, & remittere pœnitentem ad inferio-
rem pro complenda confessione in quo casu mul-
ti, & graves Auctores dicunt, posse id facere Præla-
tum, cui propter Prælatorum occupationem non
vacat audire confessiones integras subditorum, quæ
est causa sufficiens ad diuidendam confessionem.
Ita Caietan. *verbo, Confessio, conditione 10.* docens,
esse consuetudinem Romanam, quam non licet re-
probare. Antoninus, Paludan. Henricus, Nauarr.
vtrique Soto, quos affert Suarez *in præsent. disp. 3. 1.*
sect. 1. Dicunt tamen, debere pœnitentem postea
inferiori confiteri eadem reservata simul cum aliis
peccatis. Addit Nauarrus, ex vtriusque absolutione
Superioris, & inferioris, fieri vnum integram Sa-
cramentum, quod habet suum effectum, quando
inferior absoluit. Eandem probabilem dicit Ledes-
ma *in Summa, tom. 1. de Sacramento Pœnitentiæ, c. 20.*
concl. 3. dub. 4. & illam ex parte sequitur Ioan. de la
Cruz *in direct. conscientia, p. 2. de Sacramento Pœni-*
tentiæ, q. 3. dub. 5. concl. 3. dicit tamen in prima ab-
solutione fieri Sacramentum validum, & dari gra-
tiam, nec esse obligationem confitendi inferiori
eadem peccata reservata, à quibus iam fuit pœni-
tens directè absolutus.

76.

Contraria sententia docet; per se loquendo, id
non posse fieri, sed debere Superiorem; vel non ab-
soluere, vel audire confessionem integram. Hanc
tenent Adrian. Syluest. Victoria, Cano, Viguerius,
quos affert, & sequitur idem Suarez *loco cit.* Valq.
q. 91. art. 3. dub. 10. & alij recentiores communiter.
Quæ sententia verior est. Et fundamentum contra-
riæ sententiæ, quod ex praxi Romanæ Curie de-
sumebatur, solidum non est, primò: quia Sylue-
ster, qui Pœnitentiarius fuit in Basilica Petri, oppo-
situm testatur esse in praxi. Secundò, quia nunc non
est vestigium talis consuetudinis. Tertiò, quia re-
servata, pro quibus ad Romanam Curiam veni-
tur, sunt reservata Pontifici: hæc autem reservantur
ratione excommunicationis, qua sublata; tollitur
reservatio. Ad quid ergo oportebat absolue sa-
cramentaliter à peccato, cum sufficeret absolue-
re ab excommunicatione, qua sublata auferebatur re-
servatio peccati? Quare suspicor, hanc fuisse con-
suetudinem illam, quam Caietanus testatur, nempe,
absoluedi ab excommunicatione reservata, &
remittendi ad inferiorem pro confessione, & ab-
solutione sacramentali; & ideo oportebat inferiori
confiteri omnia peccata, ut ab iis omnibus sacra-
mentaliter absolueret. Vnde etiam potuit Nauarrus
dicere, ex vtriusque absolutione consilii vnam ab-
solutionem integram: loquendo de absolutione
propter includit absolutionem à censuris, & à pecca-
tis: quæ, quia vtriusque solet de facto dari simul in
confessione, & tunc diuidebatur, poterat dici inte-
graliquo modo absolutionem, & confessionem ex
vtriusque parte.

77.

Loquendo ergo de absolutione sacramentali, duo
dicenda videntur. Primum, eam non posse diuidi,
aut dimidiari, sicut neque ipsam confessionem sine
necessitate, & causa urgente, cum confessionis in-
tegritas sit de iure diuino. Vnde addit Suarez contra
Ioan. Medinam, etiam si Superior vellet, audita
tota confessione, absolue directè à solis reserva-
tis, non posse id validè facere; sed vel absolue ab
omnibus peccatis auditis, vel à nullo: quia Chri-
stus non dedit talem potestatem. Hoc tamen diffi-
cultate non caret, nec facile probabitur, non pos-
se validè (quamvis non licitè) Sacerdotem velle ab-
solue ab his, & non applicare directè absolutionem
ad alia; sed habere se, sicut si ea non audiui-

set. Quidquid tamen sit de hoc, secundo dicendum
videtur, ad non audiendam confessionem integram
requiri causam, & necessitatem grauem, qualis non
reperitur, per se loquendo, in omnibus Prælati-
bus, possunt enim, vel audire totam confessionem: vel
si non vacat, committere causam alicui Sacerdoti,
cui possint fidere, & taxare, si velint, pœnitentiam,
& præscribere alia remedia adhibenda.

Non tamen negamus, posse dari causam ratio-
nabilem, id aliquando faciendi, & absoluedi sa-
cramentaliter à solis reservatis: v. g. si pœnitens di-
cat, se indigere absolutione Superioris, vel eius li-
centia ad confitendum alteri, nec vellet dicere, nisi
in confessione sacramentali speciem peccati, quia
non vult duobus manifestare idem peccatum: &
aliunde Superior non posset ipsum audire, nec pœ-
nitens posset amplius expectare propter necessita-
tem urgentem ad communicandum, vel quid simi-
le: ac denique Superior iudicaret necessarium per-
sonaliter audire referat: quia propter aliquam
circumstantiam ita validè expedit: tunc posset
dari causa audiendi, & absoluedi dimidiata con-
fessione; qui tamen casus rarissimus est.

Adde illum, qui non est superior, sed ex privile-
gio potest absolue à reservatis, non habere ex vno
capite tantam causam dimidiandi confessionem:
quia, si esset vtile, & necessarium pœnitenti, quòd
ille Confessarius audiret tale peccatum, ut daret
illi consilium, & medicinam opportunam, & Con-
fessarius non posset audire confessionem integram;
tunc posset pœnitens, cum eius interesset, ei dicere
extra confessionem sub secreto naturali casum; vel
certè incipere confessionem cum ipso pœnitenti
postea, cum erit opportunitas: si autem pœnitens
nollet hoc facere, Confessarius, cum non sit eius
Pastor, nec debeat procurare notitiam peccati ad
adhibendum remedium, non videtur habere æqua-
lem rationem ad audiendam confessionem dimi-
diatam. Aliunde tamen videtur esse maior causa in
huiusmodi privilegiato, quam in Prælato: quia
Prælati posset committere alteri confessionem,
& dare illi iurisdictionem, quod privilegiatus non
potest facere. Vnde, si pœnitens indiget statim ab-
solutione, & Confessarius non potest totam audire,
nec remittere ad alium privilegiatum, aut ad
Superiorem, qui possit; facilius dabitur in eo ratio
ad absoluedum à solo reservato, & remittendum
pro alio ad alium Confessarium. Sed neque hoc
poterit nisi rarissimè contingere.

Hinc inferitur primò Quoties Prælati absolue
sacramentaliter à solis reservatis, nisi addit mala
fides, vel obex ex parte pœnitentis, fieri verum Sa-
cramentum, & conferri gratiam: quia cum addit
materia, & forma, & aliunde defectus integritatis
confessionis non sit culpabilis, ut suppono; nihil
potest deesse ad veritatem, & effectum Sacramen-
ti; sicut nec quando ob inculpabilem obliuionem,
vel ob aliam iustam causam omittit pœnitens ali-
qua peccata, obstat defectus integritatis valori, &
effectui Sacramenti.

Inferitur secundò, non fieri vnum Sacramen-
tum, nec vnam absolutionem ex absolutione Su-
perioris, & absolutione inferioris; sed esse duplex
Sacramentum diuersum, ita ut singula consent ex
materia, & forma diuersis; nempe, ex confessione,
& absolutione diuersa, arque ad eadem causare dupli-
cem effectum gratiæ sanctificantis: quia, posito Sa-
cramento valido, non est, cur differatur eius effe-
ctus in subiecto disposito, qualis est pœnitens,
quem supponimus habere dolorem, & propositum
circa omnia peccata.

Inferitur tertio, pœnitentem absoluedum à suo
Superiori

Non esset ne-
cessitas
peccata.

Superiori sacramentaliter à solis reservatis, non habere obligationem ea retum confitendi inferiori cum non reservatis. Hoc probat Suarez n. 10. quia, quoties poenitens materialiter dimidiat confessionem, vel propter oblivionem, vel propter aliam rationabilem causam, siue ex parte poenitentis ortâ siue ex parte Ministri, non tenetur amplius confiteri peccata, quæ illo modo confusus est, & à quibus fuit iam absolutus: ergo idem erit in hoc casu, in quo iam illa peccata Ecclesiae clauibus subiecta fuerunt, & absoluta. Quod enim dicit Caietanus, integram confessionem faciendam esse Confessario non Confessariis, & idem debere omnia peccata dici eidem Confessario: hoc, inquam, probaret, idem esse dicendum, quoties propter oblivionem, vel aliam causam rationabilem aliqua peccata taceantur in prima confessione, atque ideo debere postea respectu totam confessionem præcedentem, ut confessio fiat integra. Confessio, non Confessariis: consequens autem est omnino falsum. Fatendum ergo est, confessionem debere fieri integram vni Confessario, per se loquendo, per accidens tamen, posse fieri pluribus, quando propter causam iustam non potuerunt dici omnia peccata primo Confessario.

Hæc ratio placuit Recentioribus, Patri Coninch disp. 7. dub. 9. n. 80. Joani de la Cruz Dominicano l. 2. c. 1. supra citato, & aliis. Sed non placuit Patri Fagundez lib. 8. de secunda Ecclesie præcepto c. 3. n. 8. ubi Suariorum doctrinam minus probabilem dicit, & ipsi non videri in album collimare, neque enim rationem convincere: quia in omnibus aliis casibus, in quibus poenitens, vel ex oblivione, vel ex causa urgente dimidiat confessionem, nemo dubitat fuisse poenitentem absolutum sacramentaliter ab omnibus peccatis, etiam ab obliis, & ex causa omisit: directè quidè à confessoribus indirectè vero ab omittis, seu ablitis: & solum poenitens manifeste obligatio confitendi postea ea, quæ sciens, & ex gravissima causa omisit: vel, quod non fuit oblitus: at vero in casu præsentis valde probabilis est sententia, quæ docet, absolutionem Superiorem solum esse ablationem quandam ipsius reservationis ac proinde non tollere ipsam culpam, sed tollere reservationem, vel excommunicationem, si forte est annexa, quam tenent multi Doctores.

Hæc Fagundez, in quibus non potest non displicere in primis modis ille loquendi de opimo, ac plane legitimo discursu Suariorum. Secundò displicet, quod, ut illum impugnaret, videtur sibi in eadem pagina contradicere: impugnat etenim, ed quod probabile sit, absolutionem Superiorem in nostro casu esse solum ablationem reservationis, vel excommunicationis; nec tollere ipsam culpam: in aliis verò casibus remitti peccata omnia, aliqua directè, & aliqua indirectè, atque adeo non manere obligationem confitendi ea, quibus directè fuit absolutus. Ex quibus verbis videtur aperte colligi à contrario sensu, quod si in casu nostro absolutio Superiorem non fuisset solum ablatis excommunicationis, vel reservationis: sed absolutio sacramentalis conferens gratiam, ratio Suariorum bene concluderet, & de facto concludere debet apud eum, qui hæc concedit. Cum ergo ipsemet Fagundez n. 11. hæc omnia expresse concedat ex propria sententia; consequens est, ut apud ipsum concludere deberet discursus ille, vel propter eius inefficaciam relicere deberet Suariorum sententiam, ut minus probabilem. Quomodo enim potest existimari minus probabilis conclusio, ed quod fundetur in principiis, quæ non solum ut probabiliora, sed ut omnino vera amplectitur ipsemet, qui conclusionem impugnavit propter debilitatem principiorum?

Tertiò denique debuisset advertere, argumentum illud solum adduci à Suario, supposita sua do-

ctrina, nempe, quod absolutio illa esset sacramentalis: si enim non esset sacramentalis, sed ablatis reservationis, vel censuræ, hoc magis est pro sententia Suariorum, qui contendit, non debere esse sacramentalem; addit tamen, & merito, si sacramentalis fuisset, debuisset conferre gratiam, & per consequens remittere aliqua peccata directè, & reliqua indirectè: quod quidem ipse Fagundez postea fatetur: dicit enim, perfici ex prioris confessione, & absolutione verum Sacramentum, & formaliter integrum verè conferens gratiam. Si autem gratiam confert: ergo omnia alia peccata mortalia tolluntur indirectè, cum non possint cum gratia manere: & peccata reservata tolluntur directè, cum tollantur ex vi absolutionis, quæ ad illa sola directè terminatur.

Infero ultimò, licet Superior non absoluat sacramentaliter, sed solum auferat reservationem, & absoluat ab excommunicatione, ac mittat poenitentem ad inferiorem pro absolutione sacramentali obtinenda; adhuc Superiorem debere observare totam illam notitiam sub sigillo confessionis: sicut, quando Confessarius ob indispositionem poenitentis eum non absoluit, debet observare sub sigillo, quæ audiuit. Et ratio est quia iam totum illud spectabat, & ordinabatur ad Sacramentum, ut cum Cano observant Vasquez dicto dubio 10. n. 5. Suarez dicta sect. 1. n. 8. & alij recentiores.

SECTIO VII.

Utrum facta semel confessione cum potente absolviere à reservatis, censetur ablata reservatio pro omnibus, quæ poenitens propter oblivionem omisit.

Communis sententia affirmat, quam tenent Gabr. Adrianus, Sylvest. Angelus, Rosella, Navarrus, Covarruias, Cano, & Ledesma apud Suarez disp. 31. sect. 4. n. 12. Eandem tenet Coninch in præsent. disp. 8. dub. 12. n. 98. Nunnus in addit. q. 9. art. 2. par. 2. dub. 4. Reginaldus in praxi, tom. 1. lib. 8. c. 7. n. 99. Henriquez lib. 6. cap. 16. n. 5. & alij. Ad dunt aliqui horum Auctorum, id verum esse, si absolvens intèdebat absolviere, & liberare ab omnibus peccatis, & censuris. Ita Gabr. Angelus, Sylvest. & Rosella apud Vasquez quæst. 92. art. 3. dub. 5. n. 5.

Hæc sententia difficilis visa est Suario, & Vasquo locis citatis, atque ideo uterque eam vel negavit, vel ex parte limitavit. Nam Pater Suarez distinguit de subdito recurrente ad Superiorem, ut ab eo absolviatur à reservatis, si quæ habet, & hoc ei significante: & tunc dicit, Superiorem velle auferre reservationem pro aliis, quæ poenitens oblitus est inculpabiliter. Si verò subditus id non significet, sed recurrat tamquam pro confessione ordinaria, & confiteatur alia peccata non reservata, non præsumitur Superior velle auferre reservationem pro aliis, nisi id sufficienter significet. Absurdum enim videtur, quod per quamlibet confessionem quacumque occasione factam cum Superiore, nulla mentione facta de reservatis, sed accusando se de verbis otiosis, eo ipso poenitens maneat iam liber ab omni reservatione pro omnibus obliis: cum tamen finis, & intentioni reservationis nullo modo satisfactum sit, quæ erat, quod Superior peccati notitiam haberet, ut medicinam, & satisfactionem congruam imponeret. Addit tamen Suarez n. 20. quando facultas absolviendi à reservatis concessa est alicui in favorem poenitentis, ut quando per Iubileum conceditur facultas eligendi Confessarium, qui absolvat à reservatis; tunc licet poenitens oblitus fuerit peccata reservata, nec mentio-

O o + nem